

diximus præcedenti tomo, disput. XVIII, artic. I.

XI. Prima pars constat ex verbis ipsis S. Thomæ hic art. III: « Dicitur, inquit, aliquid possibile vel impossibile absolute ex habitudine terminorum. Possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subjecto, ut Socratem sedere. Impossibile autem absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum. » Idem est autem prædicatum aliquod repugnare subjecto, atque implicare contradictionem, quod tale subjectum possit esse cum tali prædicato, et implicatio contradictionis est aliquid simul esse, et non esse, quæ est prima radix, et origo impossibilitatis, eo quod tamquam primum principium in metaphysica habetur ipso lumine naturali notum; impossibile est idem simul esse, et non esse, quod principium est ita per se notum, quod si negetur, nullo modo probari potest, sed ex ipsis terminis notum est, quia quod ponitur per esse, tollitur per non esse, et sic simul esse, et non esse, est poni, et tolli simul, quod ex ipsis terminis apparet impossibile. Si autem prædicatum repugnat subjecto, opponitur ei, et destruit illud; et sic impossibile est poni, quia si ponitur, erit, et si repugnat, non erit, quia repugnans destruit id cui repugnat, alioquin non repugnaret si simul cum illo esset. Igitur recte dicit D. Thomas totam rationem, et originem impossibilitatis nasci ex repugnantia terminorum, ita quod unus terminus destruat alterum, seu illi repugnet, et possibilitatem nasci ex opposito, scilicet ex non repugnantia terminorum: ubi enim termini non repugnant, simul esse possunt: hoc enim est repugare: hæc est autem possibilitas, esse posse: ergo ubi non est repugnantia terminorum, est possibilitas, quia esse possunt.

Confirmatur ex D. Thoma qu. I de potentia, art. III, quia omne quod est possibile, aut est possibile ut sit, vel ut non sit: omnis enim actio directe et per se ponit aliquid in esse, quia producit illud, ex consequenti autem potest ponere in non esse, in quantum destruit aliquid, et corrumpit; et sic cum omnis terminus actionis, aut sit producendo, aut ex consequenti non esse corrumpendo fit, quod omne possibile aut est possibile esse tamquam terminus per se generationis, et productionis, aut possibile non esse tamquam terminus corruptionis, et desitionis, qui ex consequenti sequitur ad actionem. Si autem prædicatum repugnat subjecto, ita quod ejus positio involvit implicationem quod simul sit affirmatio, et negatio, neque principaliter, neque ex consequenti potest esse terminus alicujus: ergo non est factibile nec subjicibile alicui agenti, quod est non esse possibile. Non est principalis terminus, quia hoc est aliquod esse, et si simul non est ob repugnantiam prædicati, tollitur hoc esse per non esse. Nec est terminus ex consequenti, quia non esse tollitur per ipsum esse; et sic nec est terminus actionis principaliter, neque ex consequenti: ergo nullo modo, et sic est impossibilis. Ergo e converso ratio possibilis sumitur ex eo quod non repugnet prædicatum subjecto, sed determinate habeat esse, vel non esse, non utrumque simul, quod est non implicare contradictionem: sic enim potest esse terminus alicujus actionis: ergo alicujus potentia: ergo est possibile.

XII. Secunda pars conclusionis deducitur ex duobus locis D. Thomæ. Primus est in hoc articulo tertio, ubi inquit quod: « Esse divinum super quod fundatur ratio divinæ potentia, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus enti

sed præhabens in se totius esse perfectionem. Unde quidquid potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. » Ubi aperte loquitur D. Thomas de eo quod se habet anteceder ad conceptum omnipotentia, ut attributum est, quia loquitur de esse divino super quod fundatur ratio divinæ potentia; essentia autem ut fundans divinam potentiam, non est attributum potentia, sed anteceder se habens, utpote fundamentum potentia, et radicaliter potentia, non formaliter. Et quia hoc esse divinum continet, seu præhabet in se perfectionem totius esse, quidquid potest habere rationem entis, habet possibilitatem absolutam. Quæ causalis necessariam consequentiam importat: nam si ex hoc continetur aliquid sub ratione possibilis, quia essentia Dei præhabet in se perfectionem totius esse, manifeste sequitur ipsa possibilitas, seu ratio entis possibilis necessario ex illa continentia Dei, quia hæc ante omnem liberam actionem continet omnem perfectionem entis. Et ad hoc deservit secundus locus D. Thomæ in quæstione III de verit. art. VI, ubi inquit quod: « Idea divina ad ea quæ aliquo tempore exhibitura sunt, determinatur ex proposito divinæ voluntatis ad ea producenda, non autem ad ea quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerant, » quæ utique sunt pure possibilis. Et de his subdit solutione ad IV, quod: « Idea quæ non sunt determinata ad producendum de facto, non sunt ordinata ad hoc ut secundum eas aliquid fiat, sed ad hoc quod secundum eas aliquid fieri possit. » Ergo ex ordinatione idearum anteceder ad determinationem voluntatis aliquid fieri potest, hoc autem est esse possibile, quia possibile est quod fieri potest: ergo ista possibilitas derivatur ex ordinatione idea-

rum: sed id quod antecedit liberam determinationem voluntatis divinæ solum per necessariam consequentiam habetur, quia ante liberam Dei operationem non datur causalitas libera: ergo per derivationem, et consequentiam necessariam possibilitas creaturæ participatur a Deo, quia anteceder ad omnem liberam determinationem. Unde optime dixit ipse D. Thomas in hac prima parte, qu. XV, art. IV, quod: « Idea secundum opinionem Platonis, et erat principium generationis, et principium cognitionis, et ad utrumque se habet idea in Deo. » Dicitur autem principium generationis quatenus per influxum, et actualem actionem efficit, principium autem cognitionis, quatenus est principium veritatis, circa quam versatur cognitio. Et secundum quod est principium generationis vocatur a D. Thoma exemplar in actu, quatenus non solum formaliter, sed etiam effective procedit: utrumque enim genus causæ pertinet ad ideam ut exemplar in exercitio practicum est. Ut autem est principium cognoscendi, vocatur ratio, quia sic consideratur solum secundum id quod formale, et specificativum est, et hoc pertinet ad rationem rei, seu quidditatis.

XIII. Et fundamentum hujus secundæ partis conclusionis sumitur ex dictis, quia omnia prædicata essentialia, eorumque connexio, et constructio quod totum pertinet ad quidditatem, et veritatem intrinsicam rei, convenit illi ex participatione divinæ essentia; si quidem unaquæque realis entitas, et quidditas creata habet suos limites, et terminos, distinctionemque ab alia ex diversa imitabilitate, et participatione primi entis, unaquæque enim res secundum speciem, et quidditatem suam habet diversam nobilitatem, et perfectionem, et diversam

imitationem Dei, quæ perfectio major, et nobilitas ex majori participatione, et accessu ad Deum desumitur: ergo essentialia prædicata, et connexio, et constructio eorum ex participatione Dei desumitur. Sed hoc ipso quod alicui convenit aliquod prædicatum verum, et reale ex participatione, et derivatione primi entis, continetur sub ratione entis creabilis, et factibilis, et capacis ad existendum, si quidem in hoc distinguitur intrinsece, et essentialiter ens verum, et reale ab ente ficto, et chimærico, quod illud est capax existentiae, et factibilitatis, non istud: ergo ipsa possibilitas seu capacitas existendi, sicut et ipsa realitas, et veritas est ex derivatione, et participatione divina, ex qua reliqua omnia prædicata, et eorum connexio convenit alicui: nam etiam possibilitas ipsa, et capacitas necessario realitati, et veritati entis connectitur, quia per hoc distinguitur ab ente ficto, et chimærico.

XIV. Quod vero per necessariam consequentiam participetur a Deo ista possibilitas, constat; tum quia antecedit omnem actum liberum Dei, et est independens ab illo; sive enim Deus velit producere, sive non velit producere aliquam entitatem, semper manet res illa possibilis, et connexio prædicatorum essentialium vera, et distinctio realis entitatis a ficta constans: ergo si id habet per participationem a Deo, et independenter a libera voluntate, per necessariam participationem habebit; tum etiam, quia Deum præhabere in se omnem perfectionem entis est necessarium: ergo, et tale ens esse possibile cujus perfectionem continet. Antecedens constat, quia divina essentia est infinitæ perfectionis: ergo nulla perfectio sibi desesse potest, semotis omnibus imperfectionibus: ergo præhabere omnem perfectionem entis, necessa-

rium est. Consequentia vero probatur, quia si aliqua perfectio creata esset impossibilis, hoc ipso non esset perfectio, quia quod est impossibile, non est ens: ergo neque perfectio, si non esset perfectio, neque contineretur in Deo, quia non continet nisi perfectiones: ergo ut contineatur in Deo debet esse possibilis, et si non est possibilis, non continetur in Deo: ergo tam necessario perfectio aliqua creata est possibilis, quam necessario illa perfectio continetur in Deo, et omnis perfectio continetur necessario: ergo omnis perfectio necessario est possibilis. Ex quo etiam colligemus infra, quod ex destructione possibilitatis creaturæ, sequitur per consequentiam necessariam destructio omnipotentiae Dei; ex quo hæc pars amplius probatur.

XV. Quod vero hæc necessaria consequentia, seu participatio possibilitatis in creaturis sit ex divinis ideis, quatenus habent vim, seu virtutem causæ formalis extrinsecæ, et non efficientis, patet: nam quod attinet ad efficientiam, manifestum est non influere possibilitatem, quia omnis efficientia supponit rem quam efficit esse factibilem: ergo et possibilem: repugnat ergo quod per efficientiam, et influxum factibilitatis constituatur. Efficientia si quidem, et effluxus actualis a causa efficiente ponit existentiam in termino, quia efficere est extra causas ponere, et reddere in actu id quod est in potentia; possibilitas autem antecedit existentiam, et detinet rem intra causas, non actu subjicit actioni agentis, qua extra causas ponit; ergo non potest convenire possibilitas rebus per aliquam causalitatem, et effluxum actualem agentis. Quod vero attinet ad formalem rationem idearum, illa non exercetur actu erga possibilitatem, sed continet in virtute regulam, et mensuram om-

nis entitatis, et veritatis creatæ, ita quod omnis creatura habet suam determinatam speciem, seu quidditatem, et suam veritatem per conformitatem ad ideas, ut late ostendimus disp. I, art. I et II et disp. II, art. I et ultimo, ubi specialiter videri potest, quomodo veritates creatæ dicantur æternæ per ordinem ad ideas divinas penes quas formantur, et regulantur, et determinantur in suis quidditatibus, et speciebus. Idem autem est reddere rem veram transcendentaliter, et entitative, ac reddere illam non fictam, seu realem, esse autem realem objective est esse possibilem realitate considerata ante productionem, et existentiam: ergo si in rebus veritas, et formatio quidditatis sumitur per ordinem ad ideas, etiam ante productionem actualem, quia veritas non dependet ab existentia: similiter et possibilitas ad esse inde sumetur, quia hæc sequitur realitatem, et realitas veritatem rei supponit, ut distinguit a re ficta, et non reali. Est autem idea divina summa, et prima regula totius veritatis creatæ, ergo per hoc res redduntur absolute possibles, quia id quod excogitat Deus, et format, ut imitabile a se, est quod unicuique rei congruum, et conveniens est, nec sibi repugnans: ergo est possibile, quia illud est possibile rei quod non est repugnans illi. Antecedenter autem ad ideas divinas, nihil intelligitur ut determinate, et distincte formabile, nec rebus distributa sua prædicata quæ eis sint debita, vel convenientia: hoc enim fit a Deo artificiose, et intelligibiliter, non naturaliter, quia fit eo modo quo res ipsæ formabiles sunt a Deo, solum autem per artem formabiles sunt. Antecedenter vero ad artem, et intellectum divinum solum radicaliter et intelliguntur formabiles, et possibles, quatenus scilicet in infinito esse Dei, omnis ra-

tio entis, et perfectio radicaliter intelligitur esse contenta: ad ejusenim essentiæ participationem res sunt factibiles.

XVI. Neque ad hoc, ut res dicantur formabiles, et ideatæ, ac contentæ in virtute idearum tamquam in regula, et mensura eorum, quæ sibi convenire possunt, requiritur aliqua causalitas per modum actionis transeuntis, sed sufficit ipsa formatio rerum in mente divina per modum actus immanentis, per quem res dicuntur formatae, et contentæ in virtute idearum divinarum, et sicut per actum necessarium intellectus divini antecedenter ad omnem actum liberum voluntatis eas format intra se, ita per necessariam consequentiam ipsæ dicuntur formatae, et contentæ in virtute idearum ut factibiles ab ipsis: ergo habent possibilitatem logicam, hoc est non repugnantiam suorum prædicatorum, et connexionem atque convenientiam eorum per hoc solum quod sint formatae, et regulatæ intra Deum: ibi enim habet unaquæque res suam distinctionem, et limitationem juxta formationem divinæ ideæ, et habet sua prædicata determinata, quæ sibi conveniunt, et alia quæ repugnant: ex convenientia autem vel repugnantia prædicati ad subjectum oritur possibilitas vel impossibilitas logica quæ est ex habitudine terminorum: non potest autem intelligi quod ista prædicata convenient, seu non repugnent, alia autem repugnent, nisi intelligantur res inter se distinctæ, et formatae, et mensuratæ, unaquæque juxta id quod sibi debetur, vel convenire potest: hoc autem non intelligitur nisi per ideas divinas, non ante illas, quia illæ sunt prima mensura, et regula, unde unicuique rei tribuitur id quod sibi debitum est, et convenire potest. Ergo antecedenter ad ideas non discernitur quodnam

prædicatum sit repugnans vel non repugnans, debitum vel indebitum, et consequenter neque ratio possibilitatis, vel impossibilitatis. Per ideas vero statim habetur non formando res ad extra, sed intra conceptum Dei per actum immanentem, qui sufficit ad continendum in sua virtute, et in ratione formæ exemplaris, et mensurantis, atque specificantis res omnes ideabiles, non producendo, sed continendo, et mensurando intra se, et unicuique rei intra actum immanentem dando quod sibi convenit, et non quod repugnat quod est habere possibilitatem participatam a mensuratione idearum Dei. Inde vero respiciuntur tales res a potentia executiva in quantum executiva, quod est denominative esse possibles, et comparative ad potentiam exequentem, quæ physice debet influere, et producere in esse; et sic per ordinem ad illam dicuntur res physice possibles, postquam absolute, et logice sunt possibles ex participatione formæ mensurantis, et formantis, id est, ab ideis. An vero hæc possibilitas absoluta dicat aliquid præter denominationem extrinsecam, statim dicemus.

XVII. Denique, tertia pars conclusionis habetur expresse in D. Thoma hac prima parte, qu. ix, art. ii, ubi inquit: « Omnes creaturæ antequam essent, non erant possibles esse per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum sit æternum, sed per solam potentiam divinam, in quantum Deus poterat eas in esse producere. » Ergo possibilitas actu non est aliquid repertum extra Deum, sed solum in potentia creatoris cum connotatione ad res ut objective possibles. Ad idem facit quod docet S. Thomas quæst. xvi, supra articulum vii quod: « Veritates creatæ non sunt æternæ actu, et positive, nisi in intellectu æterno: in se autem

solum objective. » Pro quo videantur ea quæ late diximus disp. ii, articulo ultimo.

Fundamentum est, quia res non dicuntur possibles per hoc quod sint extra causas: sic enim non sunt solum producibiles, sed productæ: dicuntur ergo possibles per hoc quod sunt intra causas, et in potentia ut sint: ergo possibilitas non debet convenire actu extra Deum, sed solum intra Deum ut causam contineri; in se vero solum objective et in potentia dici possunt res producibiles seu possibles: ergo actu esse possibles, est actu contineri intra causas, et non actu extra causas aliquid habere. Contineri autem intra causas est ipsa potentia, et actualitas causæ continens: ratione enim ejus dicuntur res contineri. Possibilitas ergo rerum non habet actu aliquid, nisi ipsam potentiam causæ ut continentem.

Et confirmatur ratione insinuata a D. Thoma, quia nihil extra Deum datur in actu ab æterno, creat enim Deus res ex puro nihilo in tempore: ergo possibilitas rerum non est aliquid actu extra Deum, in tempore autem non incipit esse actu, quia possibilitas non est facta in tempore, in quocumque enim tempore fieret, antea erat verum dicere quod erat possibile fieri, cum possibilitas sit prædicatum essenziale, et necessario connexum, et independens a tempore. Quod autem fit tempore non est possibilitas, sed existentia, cum fiat per veram actionem. Ergo possibilitas non est actu nisi intra Deum, et in potentia Dei.

XVIII. Ex his sequitur, quomodo verum sit quod diximus præcedenti tomo, disput. xviii, artic. i, de possibilitate creaturarum. Potest enim sumi possibilitas pro statu vel pro entitate rei possibilis. Pro statu contraponitur futuritioni, præteritioni, aut

præsentiae rei; et sic non est aliud quam negatio existendi pro quacumque duratione, et differentia temporis. Pro entitate possibili dicitur duo, scilicet non repugnantiam prædicatorum seu terminorum inter se, in quantum aliquid non involvit contradictionem seu repugnantiam conveniendi prædicata, et tunc non involvit repugnantiam, quando dicitur rationem entis participati a Deo, quia implicatio contradictionis, seu repugnantia est esse, et non esse simul, et hæc non habet rationem entis, sed est distinctio entis, et sic non est a Deo. Et secundo, includit denominationem extrinsecam ortam ex omnipotentia, quæ est attributum quod enim sub potentia continetur est possibile, sicut visibile denominatur a potentia visiva, et visum a visione: sed tamen possibile, fundamentaliter seu objective, seu possibile absolutum et logicum antecedit hanc possibilitatem denominativam, quia potentia executiva non tendit, nec denominat ut contentum sub se, nisi supponendo quod aliquid non sit repugnans, seu impossibile.

Dices: Etiam possibilitas illa absoluta, seu fundamentalis non est aliud quam denominatio extrinsecam, quatenus res dicitur cognita, et formata ab ideis: ergo in creatura non ponit hæc possibilitas logica aliquid intrinsecum, sed denominationem extrinsecam, sicut respectu potentiae executivæ.

Respondetur quod ab idea duo derivantur in creaturam, scilicet esse cognitum, seu formatum a cognitione, et esse mensuratum in sua qualitate, et veritate, quod est specificari ab ideis ut exemplaribus. Primo modo res solum extrinsece denominantur ab ideis, scilicet in esse cogniti, sicut possibles a potentia. Secundo modo aliquid præter denominationem extrinsecam ha-

betur, scilicet ipsa prædicatorum essentialium commensuratio, et connexio, seu constructio, ita quod non sit tibi aliquid repugnans, et illa non repugnantia non est sola denominatio extrinsecam, licet non nisi intra intellectum formantem res, et intra causam inveniatur talis connexio.

EX DESTRUCTIONE POSSIBILITATIS
CREATÆ, QUOMODO SEQUATUR DES-
TRUCTIO OMNIPOTENTIÆ.

XIX. In hoc hæsit Vasquez disput. civ, cap. v, num. xxvi, et cum eo multi, qui hoc valde magnificant, putavitque Deum non postulare ullam creaturam esse possibilem ut ipse sit, eo quod magis necessarium est Deum esse, quam creaturam aliquam esse possibilem, si quidem ex esse Dei derivatur quod creatura sit possibilis, et quod contradictionem non implicet, ut inquit S. Thomas hic articulo tertio, non vero e converso, quia creatura non implicat, Deus est. Absolutius ergo, et independentius est esse divinum, quam possibilitas creaturæ; et sic firmior et major est veritas divini esse, quam possibilitas creaturæ. Sed major, et firmior veritas non habet connexionem necessariam cum minori, alias æquales in necessitate essent, nec ita esset minor illa, si quidem non staret hanc tolli, quin illa tolleretur, ergo ex destructione possibilitatis creaturæ, non destruitur omnipotentia, et essentia Dei. Deinde, non colligitur per locum intrinsecum, quod si simia non esset possibilis, Deus non esset existens: ergo ex destructione possibilitatis illius, non sequitur destructio existentiae Dei. Antecedens probatur. Non sequitur per locum intrinsecum, simia non est possibilis: ergo homo non est possibilis: multo ergo minus sequi-